DE

INTESTINIS SE INTUS SUSCIPIENTIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI,

UT SUMMI

IN MEDICINA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR,

DIE XXVII. M. MART. A. MCCCXXVII

H. L. Q. S.

PALAM DEFENDET

AUCTOR

CHRISTOPHORUS MEHLHOSE

ALLENHUSIANO - MAGDEBURGENSIS.

OPPONENTBUS:

E. VOIGT, MED. DR.
F. STIPANSKY, MED. DR.
J. STRAETER, MED. DD.

ACCEDIT TABULA LITHOGRAPHICA.

BEROLINI,

TYPIS BRUESCHCKIANIS.

VIRO

DOCTISSIMO, AMPLISSIMO, EXPERIENTISSIMO,

C. W. WUTZER,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO IN LEGIONE PEDESTRE DECIMA TERTIA SUPREMO, INSTITUTI CHIRURGICI MONASTERIENSIS DIRECTORI, COMPLURIUMQUE SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI ETC.

HASCE

LITERARUM SUARUM PRIMITIAS

SUMMA, QUA PAR EST, VENERATIONE, INQUE GRATI ET SINCERI ANIMI

PIUM DOCUMENTUM

D. D. D.

AUCTOR.

L. B. S.

Exspectabitis forsan, lectores candidi, me, qui de intestinorum invaginatione disseruerim, plenissimis cantare voluisse tibiis, quod omnia, sive ad historiam, sive ad naturam mali spectarent, allegarim. Absit a me haec iactatio; cautus horrui procellas, velaque iis dare in immensum literarum pontum spirantibus nec volui, nec potui. Quae cum ita sint, haud defuturos video, qui mihi regesserint, fidem me, ad ipsa operis limina datam, fefellisse. Quid plura? Ut vobis videar dignus, quem unum ex iis existimetis, qui promissis non starent? Ita de me nunquam, quem ita iuveniliter garrivisse in perpetuum poeniteret. Dicam tamen, ut res sese habet. Siquidem duobus abhinc annis amicum eo ipso morbo decessisse vidi, quem ad conscribendam inauguralem hancce dissertationem e sexcentis mihi elegi aliis, ut non nostram solummodo locupletarem artem, firmis superstruendam experientiis, nec, equidem credo, titubantibus scholarum commentis; verum etiam ut cari amici obitum celebrarem, exacto monumento quod sincerum volui, ac, veluti me ipsum, morti sacrum, non „aere perennius," non „regali pyramidum situ altius," sed fluxius aetatis flore, omnique gloria, quam flocci facio, demissius. — Quod superest, ingenue

confiteor, me multa debere benevolentiae viri, cui hunc libellum consecrare ausus sum, cuique gratias ago, quas possum, maximas. Observationum enim, quas obtuli, est auctor, et is earum moderator, ut uni tribuendum sit, si quid veri, si quid proficui vobis detulerim.

Ex quibus conjici poterit, haud concinnitudinem opusculi considerandam esse, quam nullam esse videbitis, sed pretium observationum, quibus atrocem morbum et in scriniis hucusque nimis sepultum refricare sategi; quocirca non mirum erit, me non omnia consuluisse volumina, cum non tam historiam, quam imaginem morbi exhibere voluerim, et rerum angustiae in summa temporis brevitate impediverint, quominus amplius procederem. Valete.

Dabam Berolini, pridie Calend. Mart. A. MDCCCXXVII.

INTRODUCTIO HISTORICA.

Nomina morbi, quem hoc qualicunque opusculo promulgabimus, ut nostram redoleant aetatem, ipse certe vetustissimus est. Derivandus etenim potius videtur ab eorum, quae invadit, viscerum indole, quam a mutato per omnia secula vivendi modo. Neque ulla est causa, quin eos partiter mortalium aggredi potuisset, qui Homeri aevo superiores fortissimi a vate praedicantur, 1) atque eos, qui multo post heroum memoriam non sub Iovis, verum sub imperatorum fascibus pusilli erant animi, luxuriosi, ut hodie, extremaque mollitie fracti. — Legimus quidem nusquam apud Graecos, malum ipsis innotuisse, quod impraesentiarum invaginationem intestinorum appellitamus. Ast hoc luce meridiana liquidius est. Priusquam videlicet tales affectus in aprico ponerentur, mortuorum inciderent corpora necessum erat. Quod tantum abest ut ausi sint, qui veterum suos inde divos violari comminiscerentur, ut omnino potius hanc nobis proficuam dexteritatem, ceu capitalem poenam', abhorruerint.

Abeamus a fabulis! propiora videamus! Multoties de aegritudine loquitur Hippocrates, 2) quem εἴλεον vocat, quin unquam praesumat mutuum eum intestinorum ingressum, quem suo hodie nomine perhibuimus; aliter potius rem sibi explicuit. Hinc autem non efficitur, nunquam subfuisse illi εἰλέῳ invaginationem intestinorum, quam, ita me adjuvet dius fidius, exploratam Cous ille habuisset, si cadaverum sectio licita fuisset. Certarunt interim, qui antiquas callerent linguas, unde Hippocratica illa vox derivanda esset, et, ni fallor, semper certabunt, semperque sub judice lis erit. Fuerunt, qui contenderent, verbum εἴλειν, quod coarctare, obstruere, occludere significet, cuique originem debeat illa vox, aliam accepisse a majoribus vim, si ei aspiraretur, et εἵλειν scriberetur, eodemque tunc significatu fuisse, ac torquere, volvere, vertere. Hinc factum esse, ut et de ileo et de hileo disseruerit prisca mortalitas;

1) Iliad. E. Vers. 636—37. sq.

2) a. Aph. 10. Lib. VII. de morb. III. p. 491. l. 52. sq. de passionib. p. 521. l. 46. et c.

illam voculam Hippocrati in usu fuisse, ut morbns pronuntiaretur, quem 'a coalescentibus intestinorum tunicis proficisci statuisset; 3) hanc essc inventam, ut morbo nomen inderetur, quem veteres in inextricabili intestinorum volutu collocavissent; illam igitur male ab iis latine esse redditam, qui in volvulum vertissent, hanc bene.

Veruntamen hoc ab omnibus jam video neglectum. Volvulum quippe asseverant, qui nostra de eo exposuerunt aetate, et in i l e u m et in i n t u s s u s c e p t i o n e m esse transferendum: si illud fiat, p a s s i o n e m eo annunciari, si hoc, m o r b u m. Ne falsa haec sint: volvuli certe vox vim intussusceptionis improprie habet. *Τῷ εἰλεω* duntaxat respondet, id est, malo, quo intestina contorquentur; hoc vero ad intussusceptionem haud requiritur. — Nec ulla inde ad *εἰλεον* allusio, quae aegritudo obstructionem intestinorum supponit atque coarctationem. At apud nos exoluit strictior iste ilei significatus, cum comprehendamus hoc vocabulo quamlibet ex praepedito stercoris descensu passionem, sive sit a spasmo, sive ab enteritide, sive a vermibus, sive ab invaginatione, sive secus. —

Sunt denique et fuerunt, qui *τοῦ εἰλεου* vocem ab *ἐλέεω*, misereor, fluxisse perhiberent, quia, visis his aegris, ad misericordiam commoveremur, qua nulla major esset. Hos equidem viros commonitos velim, ne ludibrio fiant iis homunculis, qui, inani aliqua gloriola intumescentes, quandam quasi in eo captant immortalitatem, quod, quoties miserrimos quosque conspicantur, cachinnum tollunt et duriores sunt saxo.

Alia etiamnum nos sollicitant nomina. Etenim Diocles Carystius *χορδαψον* appellavit, quod ad nostrum tempus volvulus fere audit: tenuioris intestini morbum putavit esse *χορδαψον*, plenioris *εἰλεον*. 4) Hoc nomen, Hieronymo Mercuriali 5) testante, neque Hippocrati in usu fuit, neque ulli ante Celsum auctori. Celsi aetate inferior Aretaeus fere haud secus, atque Diocles, tenuiori intestino tribuit afffectum, quem ab ileo hactenus sejunxit, ut in hoc flatus volvi, in chordapso tunicas supra modum molliri affirmaret. 6) Galenus duo nomina *χορδαψον* et *εἰλεον* promiscue usurpari dicit; neque tamen, ut placere quibusdam 7) videtur, primus ileo illam Dioclis voculam imposuit. 8) Originem autem hujus vocabuli, cujus inventor Diocles Carystius fuisse traditur, alii aliter sibi explicarunt. Nonnulli, ad antiquam Hippocratis sententiam, cujus supra mentionem injecimus, provocantes, a *χορδῇ*, intestino, et *ἅπτω*, necto, illud derivandum esse arbitrati sunt: intestinorum enim tunicas necti in chordapso, sive, quod idem sit, coalescere. Coelius tamen Aurelianus chordapsi nomine morbum insignitum fuisse perhibet, in quo intestina non aliter, quam chordae, tendantur, quemque

---

3) De morb. III. p. 491. l. 36. Ed. Gesn.
4) Celsus de med. IV. 13.
5) Var. lect. V. II.
6) De sign. morb. acut. II 6.
7) Dictionaire des sciences médical. L. Ile.
8) V. de loc. affect. VI. 2. extrem.

latine acutu mvocat tormentum. 9) Nec falso. Χορδὴ scilicet ut in testinum significat, ita et chordam. Chordapsi igitur vim ubi ab χορδὴ, fide, et ἅπτομαι, tango, desumserimus, morbum inde statuemus, in quo, ut Galeni utar verbis, τὴς χορδας ἅπτεται, intestina in fidium morem tensa tangere videtur, qui manum loco dolenti admoverit. Quod signum cum cuivis graviori intestinorum invaginationi peculiare sit, chordapsum puto huic horum viscerum malo prae caeteris adaptari posse. — Et haec primum sufficiant. Nihil enim sperandum ab eo aevo, quod tanto superstitionis furore horridum fuisse accepimus, ut nibil crudelius, nihil aeternae saluti insalubrius, nihil christianae religioni nocentius existimaretur, quam anatomiam, sectis hominum cadaveribus, locupletare velle, ut, quid intus sit, quae morbi fuerit causa, in magnum mortalium emolumentum patefieret.

Brevis volvuli expositio.

Eum intestinorum statum, quo eorum tunicae longius vel brevius in tubum ipsum demerguntur, ita, ut, partim inversae, proximam quamque portionem, sive inferiorem iis subeant, (quod frequentius accidit,) sive superiorem, (quod rarius,) hanc, inquam, intestinorum abnormitatem eorundem vocamus intussusceptionem, quia intus quasi suscipitur una portio ab altera; invaginationem, quia in vaginas vaginae recipiuntur; indigitationem, tanquam unius partis digiti in alteram esset immissio, id quod in manicis imitari potes; volvulum denique, quia junctus saepe malo et simultaneus subinde intestinorum varius respiceretur volutus, seu inextricabilis ille nodus, in quem veteres, ut cum Hallero 1) loquar, intestinum in volvulo gyrari scripserunt, quemque Riverius 2), tanquam rarissimam illaci affectus causam, memoriae prodidit.

Quibus expositis, expediendus adhuc restat mutuus vaginarum inter se respectus, luculentissime in singulis ob oculos statuendus. Omnes autem intussusceptiones ternas accipiunt vaginas: externam, binas continentem reliquas, reliquo sine interruptione contiguam intestino, eumque in modum, quo inversio procedit, longitudine decrescentem, nec unquam inversam; mediam, ab eo inde loco, quo infit malum, taliter inversam, ut, illapsa in externae vaginae cylindrum, villosam tunicam in eandem illius tunicam extorqueat, et contrariam illi obtineat directionem; intimam, altiori propriam intestinorum parti, mediae vaginae cylindro inclusam, eamque, dum quae intus semet suscipiant, sequentem, ab omni omnino liberam inversione, ut advertantur sibi tunicae peritoneales et hujus et mediae vaginae, veluti per se patet.

---

9) L. l.

1) Elem. physiol. corp. humani. Tom. VII. p. 96.

2) Prax. med. X. 2.

Quodsi proinde sumitur, omnes partes, quae ad intussusceptionem fecerint, in normalem positum rediisse, infima portio vaginae inversae tota hujus longitudine erit altior, quam ea, quae, durante invaginatione, altissima fuerat, eumque occupaverat locum, quo pars inversa in externam transibat seu continentem. Altissima tunc erit omnino ea pars, quam ut summam esse, ita non inversam posuimus.

Diversa intestinorum a reliquis organis figura monstrat, illorum inversionem aliam esse, ac horum. Namque alia organa cum cavitates constituant singulariter seclusas, nec patentiores fere in longitudinem, quam in latitudinem, ideoque globosas magis, quam cylindraceas; facile intelligitur, istis, si quam passa sint inversionem, nihil inesse posse, nisi partem inversam. Intestina vero, ea excepta, aliam recipiunt, non inversam, septam circumcirca ab ea atque vallatam. Quinimo tanta quandoque est volvuli complicatio, ut ipsa tertia vagina sen intima inflectatur, ideoque alteram partem inversam inveniamus tertiae inclusam vaginae, hincque ab ea differentem parte, quam ita intortam diximus, ut in externae et primae vaginae cylindrum inderetur. Fit et interdum sic haec complicatio, ut praeter inversam portionem alia intestina in continentem vaginam rapiantur, inter inversam et interiorem partem, quae illi inhaeret, intercedentia. Has complicationes, uti infra patescet, expertus est Baud 3).

Pars inversa multo est longior, quam primo adspectu tibi videtur, quoniam, mesenterio annexa, in spatium angustius comprimitur. Hanc ob rem plena est rugarum, quandoque in unum coalescentium. At intima pars ut plurimum tensissima, et insimul coarctata, ea quidem de causa, quia necesse est, abripiatur, dum ruat inversa, tamque ab hac quam ab externa continente pressa jaceat. Longe frequentissimum est, superiorem partem in inferiorem illabi. Neque tamen deesse exempla, quibus contrarium evincitur, alibi commemorabitur.

Qui fiat haec agritudo, unde ducat originem, caeteraque, quae huc pertinuisse viderentur, in singulis clarescent, quantum penes nos fuerit. Sic autem me observationibus accinxisse puto, quas fide dignissimas his schedis volui sacras, ut, orbi traditae literato, ventilarentur.

Observatio prima.

Guilelmus Bff., natus a. 1798, mense Junio, cara mihi junctus amicitia, corpore usus est parvo, quandam mentiente debilitatem, verum injuriarum patientissimo, ut durius inde multis esset atque valentius, et eum in finem juxta optatissimam naturae normam configuratum. Rigidae erat fibrae, capillis conspicuus ex atro fuscis, et aliqua faciei flavedine, sedentariae vitae amantissimus, deditissimus literis, ac laudabili in eas incensus amore, omnibus inimicus nugis, omnibus gerris, nec unquam in vulgaria juvenum rapiendus tripudia, meditabundus, futuri saepe anxius, et in eam semper propensus severitatem, qua, quam vana sint omnia, confitemur, moestus saepe adeo ultimis aetatis annis, ut defunctorum memor amicorum, hos tantummodo praedicaret beatos, et mecum de morte variaque sepeliendi ratione di-

3) Sedillot journ. de médec. t. 2. 4.

sertissime loqueretur, quasi divinasset, se brevi esse moriturum, se suavissimo eo propediem et altissimo fructurum somno, quo dulcescunt tandem amaritudines, quo desideratissimus terminus insanabilibus hujus terrae miseriis imponitur 1), e quo nunquam excitamur, ut insanam audiamus nostrorum hominum vaniloquentiam, sapientioribus insolenter obgannientium. — Haec autem, ut ad propositum redeam, monstrabunt, amicum temperamento fuisse cholerico, nec a melancholico prorsus abhorruisse, atque tunc jam temporis eo laborare coepisse morbo, quo postea decessit. Et licet inde manifestaverit, se in quemcunque abdominls morbum fuisse promptissimum, nescio tamen, quibusnam tribuendum sit causis, eum tali fuisse animi temperie: accusandane sit aegritudo, cujus primordia jam tum experiretur, an constitutio ejus. Id saltem constat, mentem ejus eum in modum placido hilaritatis tenore fuisse orbatam, quo vivaciores in dies sentirentur dolores, fixam eam assumentes indolem, ut uni semper hypogastrio dextro inhaererent. Hos alias a renum calculis, alias a psoitide chronica, modo ab hepatis induratione, modo ab haemorrhoidibus derivandos esse censebat. Sic anni 1822 aestatem transegit. Qua ad finem vergente, variis gavisus est sub autumnale tempus peregrinationibus. Quibus in sex hebdomadas extensis mirifice recreabatur, ut redux in civitatem autumaret, saluberrima sibi fuisse frequentiora corporis exercitia. Sed malum duntaxat obdormiverat, ut favillae in morem excandesceret iterum. Annis enim 1823 et 1824 priscos conquestus est dolores, ita vehementes subinde, ut c o l i c o s eos nuncupasses: surgentes videlicet ab hypogastrio dextro, in omnia fere saeviebant intestina, donec, severiorem hanc indolem exuendo, mitescebant, hactenus tamen, ut ne unquam quidem omnino revanescerent. Mense Novembri anni 1824 adeo ingravescebant, ut insolito eum invaderent furore, diarrhoea insimul accedente, quae, rheumaticae speciem prae se ferens, suetis videbatur haud cessura praesidiis. Necdum prorsus consanuerat ex his valetudinibus, cum, relicta monasteriensium civitate, in patriam migraret, quam, septuagesimum ultra lapidem a Monasterio remotam, diutius jam anhelaverat. Longum erat iter, pluvio autumni coelo teterrimum, serenis rarissime amoenum diebus, et variis officiis, quae pedestrem eum a termino detinerent, molestissimum. Hinc autem sibi minus bene valenti multa damna esse ventura praevidebat. Et vere. Nam postridie fere, quam in viam se dederat, veteres jam sensit dolores resuscitatum iri, seque in priscam diarrhoeam, cui frustra obluctatus fuerit, relapsurum. — Atque ita Berolinum venit. Hic plures per dies commorabatur, solitis afflixus torminibus; unde, in patriam venturus, Francofurtum ad Viadrum profectus est, quam assecutus urbem colicis doloribus se tantopere sensit exhaustum, ut anxie quaerens levamina, medentium se hic loci committeret potestati,

1) — — — — — To die — to sleep —
No more: and by a sleep, to say, we end
The h e a r t - a c h, and the thousand natural shocks
That flesh is heir to. — 'tis a consummation
Devoutly to be wish'd. — — — —

H a m l e t.

quoad, duabus hebdomadis lapsis, eatenus revaluisset, ut inceptum iter posset perficere, patriamque amplecti terram, quamvis tantum áberat, ut desaeviissent dolores, ut opio potius creberrime mitigandi essent. Nec patria eum tutum praestitit ab iisdem. — Tum, veredario vectus curru, frigida et hiberna tempestate per dies noctesque iter remensus est, ut nobis Monasterii degentibus redderetur, et vix redditus acerbissimo fato eriperetur. Reversum contemplati sumus eorum, quibus vexatus erat, expertem dolorum, minime tristem, imo hilariorem, quam antea, promptiorem ad gaudia, vegetiorem. Attamen facies erat collapsa, pallida, omni orba vigore: vultibus acerbioribus, nec, si hilarescerent, quandam celantibus aegrimoniam, atque, immedicabile quid in venas semet medullasque insinuasse, suo modo annunciantibus.

Sic sospes a torminibus Kalendas Martias a. 1825 transgressus est, nec quidquam proximo circiter ab ipsis quatriduo accidit. Pluribus tamen ante Nonas diebus terrificorum ominum rediit cohors, ut, sinisterioribus jam avibus, pessima quaeque extimesceremus. Augescit in dies vis morbi, augescunt dolores, a sinistro hypogastrio nunc surgentes, et in spasticam usque furentes vehementiam; revomuntur omnia, quae assumuntur, vivescunt tormenta per singulas horas, nullis cedentia leniminibus, nullis mitiganda anodynis. Consulitur, deliberatur, eligitur. Sanguinem mittunt, hirudines ventri apponunt, varia accersunt ex officinis adminicula. Nil juvant. Quodcunque potui datur, rejicitur. Hinc nulla spes in emulsionibus oleosis, nulla in aliis potionibus medicatis, quas sedantibus ditissimas tantis doloribus sapienter opposuerant. A quibus qui nullam salutem opperiuntur, externa addunt remedia. Oleum hyoscyami coctum abdomini infriatur, tenso summopere et spasticis duro constrictionibus. Caetera etiam in usum veniunt. His clysmata interponuntur, mollientibus plena, nec destituta mitigantibus. Idem de balneis. Haec saluberrima sibi crediderat aeger, his uti voluerat liberalioribus, una in ipsis lenitas, una aliquantisper a tormentis immunitas. Omnia sic, ut paucis comprehendam, paulatim adhibentur remedia, quibus tantum in malum pugnare solemus. Non vincitur. Febris accenditur, pulsibus concitatissimis, ardentissima siti, ut avidissimé biberet aegrotus, licet ipsi persuasissimum esset, se, quaecunque ad exstinguendam sitim ingessisset, vomendo illico rejecturum. Venter tensissimus, durus, dolorosus adeo, ut aeger invitus saepenumero e lecto surgeret, similiter, ac si equuleum fugere vellet, et, suis nos feriens planctibus, in pavimento huc illucque se volveret. Unum lenimen in balneis, quibus clysmata sedantia interponebantur, donec novissime alvus plane comprimebatur, usque eo, ut ne fluida quidem transmitterentur, quod clysteribus hucusque perpetrandum fuerat, ichorem saepius evehentibus. Sed nunc mors fores pulsabat, ut solveretur miser his dolorosi corporis carceribus. Obiit autem XImo Calend. April. a 1825, horis antelucanis, dirissimis lancinatus doloribus, mentis compos ad extremum spirlium, serena spe in coelum evectus, capacissimo tanti fati animo, quem nunquam abjecerat, nunquam cruciatibus victum voluerat.

Cadaveris Sectio.

Ipse praeceperat, ut, aperto cadavere, causam mortis investigaremus. Quod tertio die ita institutum, ut intestina potissimum inspicerentur. Volvulum omnes suspicati erant. Quos veritatem habuisse, inventum. Erat enim maxima pars plenioris intestini in regionem hypogastricam sinistram delapsa, ibique coacervata, et versus superiorem pelvis aperturam protrusa. Decolor apparebat flexura coli iliaca, ichori innatans, ex atro rufescenti ac foetidissimo, atque oleosas medicaminum ab aegrotante haustorum particulas exhibenti. Elevata ea flexura, duo foraminula rotunda in conspectum veniebant, e quibus ichor ille promanaverat.

Cum autem interposita his foraminulis portio remolliti hic coli, unum circiter pollicem longa, divelleretur, in huius intestini cavo corpus visebatur solidioris texturae, deorsum globatum, quod se, accuratiori submissum examini, a coeco inverso inque coli cavitatem demisso conflatum esse monstrabat. Ascendens coli et transversa pars una cum omento maiore e normali situ recesserant, ut disparuisse viderentur. Eadem fere tenui intestino acciderant; erat enim extrema versus in colon detractum, ceteroquin adeo implicitum, ut difficillimo negotio extricaretur.

Postquam in tractum intestinorum, ex abdominis cavo providenter resectum, subtilius inquisiverant, palam fiebat, perfectam adesse intussusceptionem, nec coeci solum intestini, sed coli etiam ascendentis et transversi, quae ad superiorem usque flexurae iliacae partem in descendens colon deruerant, salvo neutiquam ileo, nam et huius portio inferior, rapta a coeco, coli cavitatem intraverat, dimota igitur, non item inversa. — Vero est simillimum, coecum primo ascendentem, dein etiam transversam coli partem in superiorem pelvis aperturam coëgisse, quoniam stercore sagnante tantopere farciretur, ut pondere ultra solitum naturae modum longe procederet. Forsan quoque ad originem mali pertinebit, laxius ac longius mesocolon ascendens, tenerae proprium aetati, in hoc interdum statu persistere, licet adoleverint homines. Observatum id est. 1) Coecum vero primo fuisse inversum, inde repetendum, quia eius saccus altissime intestinum rectum versus descenderat, eamque partem consistuebat, quam caetera intestina sequebantur. Triplicem invaginationis iam intueamur tubum. Externum seu primum reddebat colon descendens, non inversum quidem, sed ampliatum, cum flexurae iliacae initiis.

Hic reliquis velamento erat omnibus. Iuxta longitudinem dissectus secundum in conspectum dabat sive medium tubum, factum inferne e coeco taliter inverso, ut huius valvula extrorsum esset flexa, superne e parte coli ascendente et transversa, pariter intortis, tuboque sursum iunctis externo. Specillum denique, ductum per ostium, quo hiat valvula coli, et ad superiora directum, in tertium sive intimum penetrabat tubum, ab extremo redditum ileo, quod intestinum coeco firmiter annexum non potuerat non detrahi, quoadusque

1) V. I. F. Meckel, pathologische Anatomie. Zweit. Bd. a. s. 330.

id delaberetur. Ingressum erat cavitatem inversi plenioris intestini, tali modo, ut, immue ab inversione, qua est extremum, initia flexurae iliacae allueret, coeco tamen inverso ab iis sejunctum.

Ex his omnibus sequitur, parietes trium horum tuborum sive cylindrorum ita, quod ad situm attineat, considerandos esse, ut statuamus, externi cylindri parietem, quia superficiem peritonealem extrorsum, villosam introrsum verteret, suetam retinuisse normam; medii et inversi ostendisse contrarium, peritonealem igitur introrsum, villosam extrorsum flexisse; intimi denique et tertii suetum rursus servasse modum, ut peritonealem extrorsum, villosam ad intimi cylindri cavum torserit.

Intestina hac ratione intricata et in uno tanquam constipata loco varias, dum aegrotus vivebat, inierant mutationes. Rudem namque referentia indigestamque molem, a normali alienissima statu, stercoribus pressa aegerrime permeantibus, ut omnis propemodum sanguinis circuitus in ipsis intercluderetur, diuturnam inflammationem erant passa, cuius signa in medio praecipue tubo offendebantur, ipsam sparsim indicantia gangraenam. Parietes medii intimique tubi sic incrassati erant, ut ad coecum et colon ascendens dimidii pollicis diametrum adimplerent. Peritoneales superficies medii intimique cylindri, conversae sibi, intercurrente textu celluloso, firmiter concreverant, ut, interposito ipsis digito, diduci vix possent. Processus vermiformis coeci, irretitus et ipse ac paululum remollitus eodem modo laminis illis se peritonealibus agglutinaverat.

Respicientibus ad foraminula illa, exedentem manifestantia gangraenae vim, mirum videbitur, non eum inde perfossum esse intestini parietem, cui coeci saccus gangraena maxime corruptus inniteretur, neque, ut dicam, externum et continentem cylindrum, verum proximam demum huic flexurae iliacae partem perforatam esse. —

Reliqua abdominis viscera sana erant indole. Thoracis et cranii cavitate nullo unquam, dum vita supererat, morbi vestigio conspicuis parcendum ita duximus, ut illaesae humarentur.

Sed haec hactenus. In caeterum tantam intestinorum labem, verbis vix depingendam, icone adiecta, omnino illustratum iri speramus.

Hinc claruisse existimo, quantus fuerit circa illam invaginationem terror. Sintne observatae, quae parum discrepent ab ea, aut truculentiores eadem fuerint, iam explorabimus. Quod ad colon attinet, hoc ulterius processisse, imo in rectum ad spithamae usque longitudinem delapsum esse, sunt, qui confirment; in quibus habendus est Hieronymus Laubius, qui in militis gregarii cadavere se hoc reperisse proposuit. 1) Posse et coecum altius delabi, testis est Alexander Monro, qui observabat, hoc intestinum cum extremo ileo in colon ascendens se coniecisse, hinc omnem eius tractum ita permeasse, ut in recto denique constitisset. 2) Neque tamen desiderantur exempla, quibus coli iliacam citra flexuram invaginatio commonstra-

---

1) Act. phys. med. N. C. II. obs. 103. a. 1730.

2) Morbid anatomy of the gullet. Edinb. 1811.

tur. His adnumerandum, quod in historia academiae regiae reperi. De bajulo ibi est sermo, quem saevae tandem succubuisse iliacae passioni tradunt. Post mortem in hominis viscera inquiritur, et coli invenitur inversio, ad flexuram sigmoideam fere procedens, sursum incipiens, deorsum tendens, quatuor longa digitos. 1) Burns etiam huc trahendus. Dixit se vidisse colon sic inversum, ut superius dimidium in inferius dupliciter esset inditum, idque citra eum locum, ubi intestinum S romani in modum flectitur 2) Verum his eminentiora exstant. Baud talia habet. 3) Tertiae enim intestini duodeni partis, pancreatis, mesocoli transversi una cum dextra omenti maioris portione in colon descendens conspexit ingressum. Hoc praeterea atque rectum intestinum partem susceperant et transversam coli et ascendentem cum extremo ileo, ut totus intestinorum tractus secundum longitudinem haud ultra quindecim pedes salvus comparuerit. In externo seu continente huius invaginationis cylindro, inferiora versus, erat angiportum, quo anus hiscebat, quodque transeunti coeco patuerat, iuxta prominenti, inverso, sua praedito valvula, ilei orificium ostendenti. An omnino diversa a nostra fuit haec intussusceptio? In eo discrepat, quod complicatae fuerit indolis. (cf. p. 10.) Vaginarum, quas habet, haec ratio, ut externam exhibeat non a colo ascendente solum, uti in nostro casu, sed a recto etiam deducendam; mediam inverso ascendenti ac transverso colo, nec item, velut in nostris, et coeco inverso tribuendam; internam denique ab ileo repetendam, hincque ei, quam tertiam sistit nostra observatio, simillimam. Inventa haec sunt in homine, qui tertium egressus et vigesimum annum, in colicam inciderat, inflammatoriae sociam febri, quibus accedebat prolapsus intestini, repositi quidem, sed suo loco non redditi. Inde mortuus.

Stuporem movet, si ne stomacho quidem parcitur in pessimo hoc intestinorum affectu. Audite historiam a Brera 4) relatam. Erat homo, qui, acta in compotationibus aetate, ventris torminibus per circuitus redeuntibus conflictari coepit: vivescit aegritudo, colica accedit, alvus adstringitur, febre accensa, colica ad spasticam usque excandescit, doloribus in ventrem dextrorsum saevientibus. Labuntur aliquot menses, dolores petunt ipsum coli transversi meditullium; altero die sedem mutant, in colon descendens migrantes; tertio in mobilem tumorem erigitur sinistra iliaca regio; paulo post aeger moritur. In cadavere reperitur stomachus stupendam in molem auctus, et in aliquod intestini recti marsupium iuxta perpendiculum deflexus. Recto se involverat nonnihil coli descendentis, quod inversum fuisse inde efficitur. Colon descendens et transversum receperat, et aliquam omenti portionem. Colo transverso id, quod ascendit, cum coeco semet immerserat, ut altera pars inversa sisteretur; his, ut tertia, ileum, arctius contortuplicatum, ieiuno et aliquanta duodeni portione infarctum. Septuplus

---

1) Histoire de l'Acad. royal. a 1727. Paris. p. 18.

2) Monro, l. c. p. 354.

3) Sedillot journ. de médec. t. 24.

4) Annotazion. med. pratiche. Vol. II. p. 129.

igitur vaginarum numerus, cum cunctus intestinorum tractus, excepto duodeni pauxillulo, aut continentes eas, aut contentas haberet: unde liquet, nutrimentis rectam a stomacho ad anum fuisse viam. Vasta certo est invaginatio, et incomparabilis fere, atque perfectissima complicationis imago. (cf. p. 10.) Similem huic, licet minorem, Meckelius 1) in intestino ileo conspexit, cui vel eam, quam Burns 2) descripserit, propius accedere perhibet.

Quae omnia minus ad nos. Sed supra quam cuiquam credibile est, ea nos attingunt, quae a Dance Parisiensi 3) nuperrime sunt tradita. Quandoquidem animadversa ab isto introsusceptio, a nobis delatae simillima; de qua sic habeto: Scriniarius, sextum annum agens et tricesimum, corpore graciliter erecto, minus vegetus, ut diuturnas aegritudines passus videretur, longam eluctatus militiam, febribus superstes intermittentibus, quae amaris fugatae emeticisque atque ventrifluis feruntur, hic, inquam, homo ad extremum ita aegrotare coeperat, ut, in nosocomium 4) acceptus, uno fere vomeret tenore, et sociis volvulo confectus cruciatibus, regione iliaca sinistra in tumorem arrecta, quinto die mortem occumberet. Ubi in cadaver introspexerant, intestinum coecum, colon ascendens dextrumque transversi dimidium e suo positu mota esse reperiebant, ut plenius intestinum ab extremo colo transverso incipere videretur, saccum repraesentans amplum, octodecim vigintive pollices longum, nec adulti brachio tenuiorem, rotundiusculum, durum, renitentem, et in extremam regionem iliacam sinistram, ubi colon restitutum normae apparebat, vaste (brusquement) desinentem. Quem eiusmodi constat invaginationem praebuisse, ut coecum cum fine ilei, colon ascendens atque transversum in colon descendens irrepsissent, eousque, donec coecum, ceu labis terminus, in flexura sigmoidea haereret. Foramina etiam aderant per vim gangraenae inusta

Hinc vero, ut caeteris supersedeam, satis superque elucescet, hunc volvulum proxime ad eum accessisse, quem nos et verbis et re depictum dedimus. Quodsi intestina respicimus, quae intus se susceperant, prorsus congruit: legentes enim, coecum cum coli tam ascendente quam transversa parte in descendentis tubum se ita dedisse, ut et tenuioris intestini extremitatem detraxerit, confiteamur oportebit, id nobis, qui paria contemplati simus, neutiquam esse alienum. Differt tamen primum haec observatio a nostra, quod coecum monstrat ipsi flexurae iliacae inhaesisse, contra quae nos hoc intestinum illa flexura superius, quamvis haud procul ab ea, conspeximus; differt deinde, quod gangraenosa illa foramina ampliora fuisse nunciat, eaque in luperiori descendentis coli ostendit loco, cum nos contra in sigmoidea tandem flexura eadem offenderemus; differt postremo, quod evincit, aegrum per quinque tantummodo dies in summo morbi se anxie volutasse fastigio, et tum vitam terminasse, cum noster e contrario, vehementissimis implicitus morbi tormentis bis septenos, et quod excurrat, adspexerit solis ortus, et tum demum animam in placidas auras efflaverit. In caeterum mirificus

1) L. c.

2) L. c.

3) Mem. sur les invag. morbid. des intest. in Répertoire géneral d'anatomie et de phys. patholog. cet. Tom. I. 1826. p. 442. sqq.

4) Hôtel - Dieu.

inter utramque concentus; vaginarum non solum eadem triplicitas, sed una etiam eademque origo, ut et intestinum ileum, quod coecum ac colon ascendens absorpserant, tertio invaginationis pariete facto, his vinculis rursus egredi videretur, flexibus distinctum sueto more tortuosis, et quae sunt reliqua.

Praeter hanc invagitationem alteram commemoravit auctor 1), parissimam ei, quam hoc horae scripulo dimittimus: nam eadem in ruinam traxit intestina, verbo, vix ullum inter utramque discrimen. Hominem corripuerat haec aegritudo, annos natum viginti duos, tenuem, ad despectiorem naturae normam evolutum, opificio ei intentum, quo glebae ad gradus aptantur (terrassier.)

Quibus enumeratis, liceat mihi paucis verbis causas, diagnosin et medelam hujus funesti morbi persequi.

Causarum magna est multitudo. Hoc tamen loco de iis duntaxat sermo erit, quae graviores volvulos, pleniori praecipue intestino proprios, procreare solent. Accusandae sunt motus peristaltici perversiones, quibus aliae musculares fibrae intestini nimis contrahuntur, aliis nimis laxis. Quodcunque igitur pervertit hunc motum, inter causas invaginationis est. Videntur huc pertinere omnia tunicae villosae irritamenta, quae praeter naturam contingunt, ut Dance 2) ipsa huc referat purgantia, cum observaret, duos aegros, de quo locuti sumus, iis diu multumque usos fuisse. Nonnunquam mere mechanicae sunt hae causae, et intestinum quocunque pondere ullibi detrahitur. 3) Unde vel cibi in censum veniunt, qui viliores sunt, quibusque se ingurgitant homines, valentioribus et dapsilibus egentes. Hac ratione oriri posse ileum, Coelius Aurelianus iam confirmavit. 4)

Utplurimum vero, ubi tale quid accidit, corpora peregrina parietibus intestinorum affixa, in causa erunt; nec id sine exemplo. 5) Frigus etiam, cui sudore madidi se derepentino obiecerint, incusandum esse, Aretaeus 5) iam monuit; quod veritati repugnare nemo asseverabit, modo et experientias et illud inter cutem externam tunicamque intestinorum mucosam commercium rite perspexerit. — Neque crediderim tutos, qui sediculis indulgent; pessimum est, si agrestibus simul cibis utuntur. Sic amicum, cum multus in studiis hanc eligeret vivendi rationem, illum sibi letalem morbum conscivisse, verum esse videtur, imo verissimum est.

Ad diagnosin transeamus. Difficiliima est. Exitialem intestinorum inflammationem accedere debere, bene intelligimus, sed, unde haec sit, aliquoties ignoramus, ut aegroti, si

1) Dance l. c. p. 450.
2) l. c. p. 468.
3) Meckel l. c. p. 328.
4) l. c.
5) Histiore de l'Acad. roy. l. c.
6) l. c.

prope ad extremum ventum est, veram et primariam mentiantur enteritidem, nosque fallant, qui nullam suspicemur invaginationem. Tales fuisse videntur, quorum historiam a Dance concinnatam breviter perstrinxi; duo enim, nosocomium ingressi, paucis post diebus interierunt. Paria amico accidisse memini. Antecessit eius casum enteritis ardentissima, ut in frigidam, cuius integros hauriebat congios, coniici voluerit. At nobis ut vitium faciat fucum, vitam ante actam perscrutantibus? Haud parum utique ad diagnosin conferet, ubi originem rimari studuerimus, inque rem nostram erit, ubi aegrotantis ventrem de industria, nec obiter exploraverimus. Quod ad primam rem attinet, distingui posse arbitror enteritidem, quam volvulus procrearet, ab ea, cui aliae subsint causae.

Illa enim, a mitioribus profecta initiis, cum mutuo illo intestinorum ingressu aequabiliter ingravescere consuevit, nec primum tanto tamque subitaneo invadit ardore, verum, praemissa malorum caterva, aegros solet diuturnis trucidare et continuis doloribus confectos. Quodsi igitur anamnesi sedulo immoramur, ut originem morbi, quoad eius fieri poterit, perspectam habeamus, certe intellecturi sumus, talem enteritidem a quocunque intestinorum vitio derivandam esse; id quod omnino iis persuasum erit, qui hos aegrotos ab initio meditate observarunt. Certissimum autem volvuli symptoma, et pathognomonicum fere, durus ille est tumor, quo locus intussusceptionis erigitur, ut tensior appareat reliquo ventre et editior. Alia contingunt in vulgari enteritide, qua qui affecti sunt, abdomen habent aequabiliter tensum, nec ulla eius regio singulari eo obsidetur tumore, quem dolorificum ad instar fidium indurescere posui. Ipse hoc in mortuo amico expertus sum.

Hoc etiam symptomate nitebantur, quos statuisse invaginationem Dance 1) in secunda observatione asserit. Nunquam desideratur haec induratio, qua quicunque abdominis locus arrigitur, cum nihil aliud sit, quam acervus intestinorum, quae, naturalibus orba anfractibus, cavum illius infarciunt atque extendunt, quod externum cylindrum suppeditat, ut, ad abdominis integumenta vergendo, tactilia fiant. Neque difficile erit, dictam indurationem ab iis discernere, quas in ventriculo, jecinore, liene aliisque abdominis visceribus frequentius animadvertimus; namque non ex aliis solummodo scaturiunt fontibus, verum etiam ad mitiorem morbum pertinent, quam quae ita ominosa est, ut volvulo terreat. Idem de colica stercoracea valet, qua indurescere scimus quandam abdominis plagam atque intumescere; quae aegritudo ut chordapso clementior est, ita efficacibus remediis curabitur. Denique hic invaginationis tumor id peculiare habet, ut, quotiescunque dolores invadunt, maxime doleat, obduresca, emineat. Qui dolores in vicem aegrotantem sic torqueut, ut nunc in furorem usque exacerbescant, nunc retorpescant, atque, ex intussusceptionis inde loco debacchantes, per cunctas ventris plagas perrumpant, hincque in eundem locum, unde profecti sunt, revertantur. Ubi exardescunt, aegrotus summo angore cruciatur, fluctuat, et, qui vehementissimo nixu exonerare

---

1) Quelques personnes eurent l'idée que cette tuméfaction était le résultat d'un amas de matière fécale, mais le souvenir récent de l'observation précédente porta M. Husson et M. Horteloup à penser que ce gonflement circonscrit était le produit d'une invagination intestinale. v. l. c. p. 451.

ventrem tendit, fulcrum, quod in propinquo est, cupidissime prehensat, ut in laboriosissimo negotio adjuvetur, singularemque edit ejulatum; paucis, ad parturientis mulierculae similitudinem se gerit, pariter, ac si portionem intestinalem, quae intus semet suscepit, eniti vellet. Aliunde manantium dolorum colicorum cum modo descriptis similitudo haud prohibebit, quominus distinguantur, modo ponderemus, quamlibet aliam colicam, ni gravior causa subfuerit, nec ita rebellem esse, et praesentaneis remediis fugari. Exemplo sit colica spasmodica, quam, praedominante spastica indole a reliquis distinctam, et ab ea, quae a volvulo producitur, discriminare valebimus. Quaeque autem pertinacior colica, omnia artis conamina eludens, et ne efficacissimis quidem atque extremis propemodum cedens remediis, quotidie ingravescens, periculosissimis, credo, iis adjudicanda est, quas terrificas a qualicunque intestinorum labe originem sumere contendo. Incidentes igitur in aegros pertinacissima ea correptos colica, certe gravissimam hujus esse causam intelligemus, ipsamque invaginationem suspicabimur. Saturnina aliaeque id genus colicae huc non pertinent.

Quid nunc de curatione praecipiendum, qua nihil fere difficilius est? Sincerus Aretaeus sine fuco et ostentatione dixit, tali modo laborantibus mori beatum esse 1). In quod effatum licet generatim vergamus, spem tamen nullatenus abjectam volumus, cum nonnullos ex his evasisse periculis et consanuisse certum sit. Lenta vero remedia aegroti non desiderant, et strenue moriuntur, qui tarde convalescere nequeunt. Sed quid, quaeso, faciundum? Ad extrema remedia in extremo morbo veniendum! Haec ergo, omissis reliquis, quae palliativa audiunt et lippis nota sunt atque tonsoribus, recensentor. Ventrem, omnibus incassum tentatis, incidendum esse, temerarius Praxagoras sine ulla fere circumspectione proponit 2). Verum enimvero summopere cavendum, ne illi homini dicto audientes simus, quanivis certo certius sit, gravissimam quamque intussusceptionem nec emeticis debellatum iri, a prisca mortalium gente in ileo 3) praedicatis, nec suppositoriis felle in apice oblitis, qualia Hippocrates 4) imperaverit, nec immisso in intestinum per follem aëre, ut idem auctor praeceperit 5), nec machina illa Italica, frigidae undam in intestini cavum protrudente, quam primo Molinari, transalpinus medicus, in usum vocarit, nostrasque de Haen 6) commendaverit; nec clysmatibus, tum oleosis 7), tum decocto herbae Nicotianae refertis, 8) tum fumantibus, eadem

---

1) V. morb. acut. curat. lib. II. cap. 5.

2) Clerc, histoire de médecine. p. I. Liv. IV. chap. VI. Artic. „Praxagoras"

3) a, Hippocrates, de morbis III. p. 491. l. 33. sqq. b, Coelius Aurelianus, acut. morb. lib. III. C. XVII. c, Plenciz, Acta et Observ. med. p. 50.

4) a, De morbis III. p. 491. l. 48. sqq. b, Fried. Hoffmannus, med. rational. syst. pars IV. p. 294.

5) l. c. p. 491. l. 52. et de passionib. p. 521. l. 46. Legendus etiam Hallerus in Element. physiol. c. h. Tom. VII. p. 95. et in opusc. patholog. observ. XXVII.

6) Rat. med. P. VIII. c. 5. IX. c. 5. XI. c. 3. §. 5.

7) Wend V. et VI. Nachricht von dem Krankeninstitute zu Erlangen.

8) Vicat, delect. observ. pract. App. p. 31.

herba deflagrante, 1) nec epithematibus frigidis, quibus ventrem humectarint, 2) nec crustis iis glacialibus, quas ventri impositas a pertinacissimo ileo se liberasse princeps quidam Brunovicensis perhibuerit, 3) nec devorato regulino plumbo hydrargyrove, quae pondere valuisse ferantur, 4) nec aliis denique remediis, quae multi laudaverint, non pauci exploserint. At unde auxilium petendum in hac malorum vastitudine? An ad ferramenta confugiendum? An haec pro extremo habenda sunt remedio? Habenda autem! Neque tamen, ut jubet Praxagoras, hanc terribilem curationem tentemus, sed, quae nostra est humanitas, prudenter ab ea abstineamus, ubi terriculamentorum plena sunt omnia, nec ulla spes est, fore, ut miserrimi serventur. Hinc elucescit, quantopere coercenda sit curandi illa ratio, ne quid crudele, ne quid horrifici sapiat ars nostra, qua nihil clementius, nihil ad mitigandos dolores paratius esse debet. Tametsi vel Paulus Barbettus 5) pronuntiaverit, hos aegrotos nunquam certissimae morti committendos, sed ante ferro semper tractandos esse, ut forsan, inciso abdomine, intestinornm illa labes redintegretur; est tamen modus in rebus, et in aeternum praeclara illa mediocritas, quam nunquam impune transgredimur. Tritissimum illud: „praestat remedium anceps experiri, quam nullum," cuivis temerario incepto praetexere, sicque religionem artis et castitatem violare velle, crudelitas esset, nullis unquam expianda poenitentiis. Jure suo Fridericus Hoffmannus 6) monet, ut incautum illud Barbetti dictum compescamus, et iis tantummodo aegris gastrotomiam constituamus, qui, invaginationem nacti, nihil dum enteritidis sentiunt. Hevinius 7) Francogallus, rem ait incertitudine sua laborare, et nullam erui posse indicationem, qua nixi eo audaciae procedendi potestatem habeamus. Richterus 8) etiam praecepit, ut laparotomia hoc in affectu rejiceretur. Placuit tamen ipsi, cohibere hocce praeceptum, cum alibi 9) indigitarit, nostrum quandoque fore, hoc ferreum remedium periclitari, quod vero semper esset suspectum, ea sci-

---

1) De Haen, l. c. P. I. p. 113.

2) a, Ludovicus Septalus, animadvers. med. a. 1650. p. 213. ed. Dorderacena. b, Forestius, observat. et curat. medicinal. Lib. XXI. c, Baldinger neues Magazin. Bd. VIII. p. 77.

3) Hahn, (J. S.,) von der Kraft und Wirkung des frischen Wassers 1745. p. 142.

4) a, Zacut. Lusitan. Prax. admirabil. L. II. observat. 27. b, Helmont, initior. physic. tit. de flatibus p 319. c, Sydenham, op. p. 91. d, Neudeau in Journal de médecine. T. LXIV. p. 238. e, Act. N. C. Vol. V. Obs. 155. f, Boyle in Phil. Transact. ann. 1669. g, de Haen l. c. P. XI. 3. §. 3 - 5. h, Belloste, chirurgien de l'hopital etc. i, à Moinichen obs. med. chir. ad Bartholinum N. 6. cet.

5) Operat. chir. anat. lib. X. cap. II. 1672.

6) Dissert. de pass. iliaca. §. 27.

7) Hevin, recherch. historiq. sur la gastrotomie dans les cas de volvulus, in Mém. de l'Acad. de chir. Vol. IV. p. 232. sqq.

8) Chirurgisch. Bibl. 1 Bd. I. p. 52.

8) Specielle Therapie Bd. IV. p. 224.

licet maxime de causa, quia eligeretur, ubi partes intestinales inflammationem jam atque coalitum recepissent, et quem, iis necdum obstantibus, loca reperturum, quibus in aegrotantis salutem cultrum adhiberet?

Experientia interim evincere videtur, aegrotos haud semel tanto remedio vitam debuisse. Sic mulierem tradunt, 1) quae ab intussusceptione laborarit, inque passionem iliacam inciderit, morti per gastrotomiam ereptam fuisse, et sanitatem eam recuperasse, ut viginti, et quod excurreret, postea annos vixerit. Huic tamen curationi, quam Nuckius sibi, grandiloquus homo, dedicavit, fidem alii derogaverunt; neque deesse video, qui, suis ducti argumentis, pro vulgari herniotomia eam acceperint, 2) Quinetiam nulla est eorum exemplorum penuria, quibus infaustus eventus illius in hoc morbo medelae ad amussim declaratur. 3)

Quae omnia dum perpendebam, prope erat, ut cum Hevinio 4) exclamassem, in volvulis illud artificium repudiandum esse, ni eadem tempestate comperissem, Fuchsium 5), Germanicum medicum, exantlato eodem, aegrotantem ab interitu vindicavisse. Erat enim vir, annos duodetriginta natus, qui, ad suum se occupans negotium, subitaneis ventris doloribus afficiebatur, in singulos dies adeo augescentibus, ut denique ex omni symptomatum congressu patefieret, invaginationem adesse intestinorum. Cui ubi omnia remedia, ut fere fit, inania se praebuerant, unum illud supererat, quod extremum gastrotomia suppeditat. Indicatur hoc ab artifice necessariis aegrotantis, cultrum omnes abhorrent, pessima terruerant signa: annuunt cum aegro. Artifex ultima experitur, et servat eum, qui jamjam moriturus videbatur. Ut aliquis negaverit, novum id esse, consentiet tamen in illo viro laudando, qui in discrimen famae venire, quam de praestantia artis desperare maluerat. Hinc colligendum, sapientis esse medici, certis sub conditionibus in volvulo ad laparotomiam confugere, dummodo tempestive id faciat, et prius se huic accingat negotio, quam morbus adeo exarserit, ut inflammatio et reliqua inde pendentia signa ferramentis obstent. Neque vacillent judicia de loco, salutis spei opportuno. Nam Fuchsio arbitror propterea id artificium prospere sucessise, quod non procrastinarit, sed maturate se inter spem et desperationem interpossuerit, — quodque locum, ubi incideret, recte cognoverit. Quae omnia qui negligunt, ab hac se abstineant methodo oportet; inde ne hilum quidem salutis, inflammatis jam partibus; inde summa pernicies, tensissimo et ardentissimo jam ventre. Quid? quod experientia docuit, intestinorum parietes adeo secum coaluisse in invaginatione, ut, diducere eos, impossibile fere esset. 6) Quod facile est perspectu,

---

1) a, Bonet, Lib. III. Sect. XIV. de dolore iliaco. b, Hevin, l. c. p. 208. c, Velse in Halleri Disput. anat. Tom. VII. p. 126.

2) a, Dictionaire des sc. med. artic. Ileus, p. 558. b, Hevin l. c. p. 207.

3) Hogg in diss. observ. med. chir. Jena 1762. V. Sandifort Thes. Vol. III. N. 3.

4) l. c. p. 242 in fin.

5) Hufeland's Journal der practischen Heilkunde. LIII. Bd. 2tes Stück. 1825. pag. 42 sqq.

6) Dance l. c. p. 474.

si pensitamus, conversas esse sibi in omni volvulo duas superficies peritoneo obductas, ideoque serosas, quae facillime concrescant, si inflammentur. Et diuturnam inflammationem cuilibet invaginationi familiarem esse, donec ad enteritidem usque increverit, patet. Quocirca dubia semper est et anceps illa curandi methodus, et male sit ei, qui serissime et multo post opportunum tempus ferramentis utitur, ut rem in casum det, quod quidem nihilo secius aegrotus perditum eat.

Aliam viam quandoque natura ingreditur, auctrix rerum et miraculorum inventrix. Etenim accidisse, ut vi ejus medicatrice intus suscepta intestinorum portio ejiceretur, haud sine exemplo est. Sic Monro 1) narrat, puerum annos natum magis undecim dolores colicos, postquam veuter vapulasset, esse dequestum, atque insequente anno nigelli quid et membranacei per anum reddidisse, quod inflatum tubi exhibuisset formam tredecim pollices longi; hunc mesenterium ostendisse sibi adnexum, ut pro intestini cylindro habendus fuisset; mortem vero, aliis etiam frustulis intestinalibus per anum ejectis, sex post hebdomadis ingruisse, tantumque, secto cadavere, intestinorum coalitum repertum fuisse, ut ileum quatuor uncias amplum circa valvulam coli, intercepto paene cavo, incrassatum et induratum intuentibus se obtulisset. Totum cicatrici haud absimile fuisse, et caeterum a norma nihil aberrasse. Nec alia desunt. Foemina quaedam, septemdecim dies ileo vexata, portionem intestini ilei dejecit, duodeviginti uncias longam. Qua dejecta, virium sensit jacturam, nullos tamen dolores, qui ante immaniter saevierant. Viginti diebus postea periit. Cadaver monstrabat intestinum ileum nonnullis in locis furvum et gangraenosum. Haud longe a colo idem intestinum indissolubiliter concreverat, et tantopere coarctatum erat, ut digitum auricularem vix admitteret. Portio dejecta intus suscepta, tractus intestinorum interruptus atque inflammatione adhaesiva resartus fuisse et reconcinnatus videbatur. 2) Huc quoque trahi debet observatio a Baillie 3) delata, qua quinquagenariam mulierem nunciat, frequentiori alvi obstructione vexari solitam, in capitalem morbum incidisse, quo tribus hebdomadibus ante, quam moreretur, cruentas saepenumero passa dejectiones, substantiam intestino similem infra transmisisset. Decem ante obitum diebus ventrem non purgare, nisi staret erecta, potuisse, atque in hoc statu fuisse, donec extrema eam occupasset dies. Eliminatam per anum substantiam revera intestino colo tribuendam fuisse, in quo et villosam et muscularem tunicam, nec non peritonealem passim atque appendices epiploicas distinxisses. Quinetiam Hunterus 4) sex pollices longam intestini portionem repraesentat, in quo omnia visuntur et singula, cujusque intimam tunicam coagulata, quod ajuut, lympha deprehendis obtectam. Homini id acciderat, qui, facta ea intestini

---

1) l. c. p. 395. sqq.

2) Dougall in Duncan med. comm. D. I V. IX. p. 278.

3) Transact. for the improvem. of med. etc. Vol. II. p. 144. sqq.

4) Transact. for the improvem. of med. cet. VII. p. 149.

jactura, ipsi supervixit biennio. Quid opus est plura? Nonne illa satis ob oculos statuunt salutiferum naturae nisum? —

At profecto majorem habet admirationem, ejusmodi aegros omnino convaluisse. Demonstrant id documenta. Consanuerant enim aegrotantes, quorum unum plenioris intestini portionem tres et viginti pollices longam, alterum tenuioris, partem tribus vix breviorem pedibus, foras dedisse Hevinius 1) refert. Cruveilhierus et Thuilierus 2) narrant, ileum emissione portionis intestini tenuis terminatum esse, aegrotis perfectae sanitati restitutis.

En dexterrima naturae artificia, a nobis non exantlanda mortalibus. Veneremini itaque aeternam rerum matrem, et, quanta sit artifex, quantorum inventrix miraculorum, omni renascentium tempore, contemplemini.

Observatio secunda.

Ponite, infantulam vobis se obtulisse, inde a primis incunabulis ad quartum usque aetatis mensem et deiectione et obstructione alvi per vices vexatam, suetisque volvuli interemtam cruciatibus, et uno velut obtuitu ominosum huius observationis perlustravistis campum. Indies haec eius valetudo ingravescebat, ut postea, quoties exinaniret alvum, vultus distorquerentur; quod ita egessit, ex luteo prasinum apparuit. Eiulabat saepe miserrime per integras horas, quin, unde hoc ita esset, tibi suboluisset. Ad quintum diem Idus Martii a. 1826 matris ubera, quae ligurire consueverat, respuere coepit, et adeo vagire, ut anxii parentes a medicis auxilium accerserent; qui se aegram conspexisse tradunt haud insolite spiritus ducentem, bene, qua esset aetate, evolutum, nec male pastum; saepe vero alvum solvere gestientem, inde nihil, nisi mucum sanguine infectum eliminantem, sorbilia revomentem ad unum omnia. Pulsum fuisse concitatum, abdomine grandiusculo, nec dum tenso et inflato; distortos esse inter continuum fere eiulatum faciei musculos, nec caetera signa intestinos manifestantia dolores abfuisse; duriusculum denique tumorem super regionem hypogastricam et iliacam sinistram prominuisse, qui mobilis fuerit, tactum haud secus, atque fasciculus arcte convolutorum intestinorum, adfecerit, protinusque, ut dicta regio contrectaretur, in conspectum venerit.

Huic affectui solita remedia nequicquam proponebantur; postero enim res in peius erant versae: clamitat miserabilius prae doloribus infantula, abdomen tumidius, tensius, durius singulis fit horis, alvus fere omnino comprimitur, et in modum aegrorum, qui ex dysenteria laborant, cruenti quid infra transmittitur; paucis, omnia enteritidis adsunt signa. Praesentanea in usum vocant remedia, ventri fomenta imponunt, facta ex herbis aromaticis; nec hirudines omittunt, nec tepidas balneas. Nulla spes salutis, nulla fomenta doloris. Inflammatio

1) l. c. Vid. et Dance l. c. p. 474.

2) Bulletin de la Faculté de médecine, année 1818 N. IX. ex Dance l. c. p. 475.

crescit, crescit cum ea abdominis tensio, et vehementissimus est a tacto tumore, quo alvum obsessam diximus, dolor. Sequente die ventrem cernunt tumidiorem, quam antea, et multo duriorem. Alius consulitur medicus, qui frigida fomenta praecipit. Sitis ardentissima aegram torquet, ut semper bibat et vomitet. Quarta die intolerabili siti cruciatur infantula, quae, pessimo omine, quietis prae se fert speciem; effluere, longe tumidissimo et tensissimo abdomine, gangraenosa per anum sanies. gangraenam omnia nunciare signa. Sic cum quinta aurora, pessimis omnibus, mortuam esse ferunt.

Cadaveris sectio.

Postriduo Id. Martii, nychthemero post interitum praeterlapso, id actum, ut ventrem aperirent, eiusque viscera rusparentur. Erat autem tenuius intestinum turgidum atque inflatum; quo allevato, plenius desiderabatur, ut deficere videretur, nec eo, quo solet, loco in conspectum prodiret. Quod unde sic factum? Audite! Circa regionem iliacam sinistram massa comparebat ex atro fusca, pugnum magnitudine aequans, peritoneo affixa, et tumori respondens, in quem abdominis illam regionem erectam posui. Quam massam provide expromtam intestino colo, coeco extremoque ileo adscribendam esse reperiebant. Haec se intus susceperant, eum in modum, ut in flexuram iliacam dejicerentur, et quaevis eorum pars superior cuivis inferiori insinuaretur; unde sequitur, ter singulam adfuisse parietum intestinalium duplicaturam. Hi parietes, marcidi et gangraenosi, lympha exsudata conglutinati erant, impervio ferme intestinorum tubo, qui angustissimo lumine pateret. Quin infimi sic dicti convoluti parietes sibi adversi lymphae plasticae ope penitus coaluerant. In reliquis abdominis visceribus nulla erat abnormitas, neque ulla totius tenuioris intestini inflammatio.

Infantes huic morbo maxime esse obnoxios experientia docuit. Nullam tamen eorum iuvaginationem huic, quam exhibui, plane similem deprehendi. Simillimam puto, quam a Monro descriptam supra tradidi. Haec, quamvis distiterit, eadem tamen paene intestina complexa est, et ejusdem aetatis infantem. Nam et hic, quod reticui, et in hunc reservavi locum, vitam in quartum mensem produxerat. Vidit eum magnus Albionum medicus, et, exploratis omnibus, ex intus susceptis intestinis tormenta derivanda esse oppido intellexit. Similia ad nostram observationem pertinebunt. Infantulam scilicet, cujus aegritudinem descripsimus, volvulo esse affectam, doctissimus Wutzer perspexit. Hunc sibi elegerant parentes, ut summo ipsis solatio esset, et dexterrimo artifici has revelasse miserias. Veruntamen parvam eorum natam servari non posse, ex morbi signis colligebat, priorem refricando experientiam, veram volvuli passionem perpendendo.

Ex his luculenter apparet, et tenerrimam aetatem volvulis gravioribus infestam esse. Quodsi igitur a seniore Meckelio 1) accipimus, introsusceptiones, quibus infantes corripiantur,

---

1) Mémoire de l'Academie de Berlin, p. 68. a. 1758.

neque internecinas, hactenus ab eo dissentimus, ut exempla protulisse arbitremur, letiferos illorum volvulos uberrime monstrantia. Videtur tamen hic tantus vir hanc sententiam coercere voluisse, cum eam verbis amplificaverit, hos vel tenerae aetatis affectus non omni vacare periculo prodentibus. qergit videlicet, inflammationem haud semper accedere solere, et cum laxiora infantibus sint intestina, haec eam indissolubilem invaginationem haud nactura esse, ut isti trucidentur. Quod autem haud aliter intelligendum, quam res id habent. Vere infantes ad volvulos magis sunt proni, eosque innocuos, quam provectiores aetate homines, id quod trecenta monstrarunt funera 1); neque tamen, ut infra clarescet, illae labeculae adultum hominem omittunt. Quare tot infantes hunc sibi mitiorem volvulum contraxerint, mirum non est: hac enim vitae aetate tanta est stimulorum multitudo, ut facillime tale quid fiat. Sic subito oriuntur volvuli, quibus non adeo perhorrescimus, cum revanescant saepe, neque adeo ingravescere consueverint, ut suis nos terreant symptomatibus, quae nulla sunt. Sed ab his distinguendi sunt, qui truculentissimi tam infantes aggrediuntur, quam omnes inde ab impubere aetate mortales; illos rarius, hos frequentius. Quod ita esse exemplis probatur, quibus, ne fines libelli egrediar, invitus supersedeo.

Observatio tertia.

C. H., annos habens duodeviginti, alacrioris animi homo, parvae staturae, ut corpore infirmus videretur, habitusque scrofulosi, a puero semper bene valuerat. Bona etiam erat valetudine, cum ex ephebis paene excessisset, et, cornicinis personam agendo, militare coepisset. Anno tamen 1826, sub casum autumni, multoties per plures continuos dies, frigido jam coelo et humido, in areis commorabatur, ut disciplinae se accommodaret, nec socordiae increparetur. Hinc manasse morbum, quo postea afflictus est, existimabat. Eodem namque jam anno, a. XIX. Calend. Decembr. minus bene valebat, atque, tussi vexatus ac coryza, de horroribus simulter conquerebatur cum aestu fugace vices alternantibus. Sic ejus valetudo in dies gravescebat, adeo, ut ad XII. Calend. Decembr., consultis medicis, in nosocomium reciperetur. Quo tempore eum ferunt suetam alacritatem perdidisse, et moestis inhiantem silentiis fracto fuisse animo, faciem habuisse pallidam, linguam mucoso squalore obductam, pulsus frequentes, cutem aridam, aucto intemperatam calore. Atque, ut paucis comprehendam, ab eo inde die gravius etiam aegrotavit, ut, labentibus horis, vis morbi incresceret, et e cuncto symptomatum concursu febris nervosa comprobaretur. Quae aegritudo tantum abest, ut remediis cesserit, ut aegrotus potius, leviusculas passus nervorum distentiones, quae vespertino tempore ingruebant, VI. easdem Calend. exspiraverit.

Cadaveris sectio.

Hora post mortem tricesima septima ad lustranda viscera convenerant. Quibus in conspectum datis, videbant, flexuram iliacam esse turgidam, sursus protrusam, caeterisque praejacentem intestinis loco motam. Varia intestini jejuni et ilei loca, extrinsecus adspecta, plena apparebant vasis, eorum speciem praebentibus, in quae tinctoria artificis massa penetravit. Cum accuratius inspexerunt tenuius intestinum, sex ejus intussusceptiones inventae sunt, quarum ea erat indoles, ut portio intestinalis superior singulis binisve unciis in inferiorem demitteretur. Neque tamen vaginae ullam adhaerentiam organicam inierant, et facile erat, unam ab altera separare. Haud amplius calamo lumen, quo patulus erat invaginationis locus, ceteroquin integer, nullaque foedus destructione. Mucosa ventriculi et intestinorum tunica refertissima sanguine, inflammata neutiquam. Caetera, quae secantium sedulitas detexit, omittenda putavi, utpote a meo proposito aliena.

1) Hevin, l. c. Dance, l. c. p. 462.

Subito orta videtur ista invaginatio. Quaeritur, unde originem traxerit, innocuane fuerit, an secus. Innocuam fuisse respondemus, quam a spasmis muscularis intestini tenuioris tunicae derivamus, quos id posse constat. Muscularis enim intestinorum tunica ad inaequabilem exinde actionem instinguitur, et motus peristaltici tollitur aequilibrium, quo sublato, fibrarum contractio aliquo loco praevaleat necesse est. Quod ita contrahitur, facile depellitur in cavum ejus, quod eodem momento neque contrahitur, neque alia ratione movetur. Hanc statuimus originem istius invaginationis, eamque ab hac spastica fibrarum contractione profectam esse putamus. Revanescere eandem potuisse, nisi istinc, qua diximus, mors supervenisset, nulli dubitamus: nam frequentissimus datur istarum labecularum ad integritatem reditus, id quod contingit, dum intus susceptae portionis actio praedominatur, priori renitendo; sic cum simultanea comprehendentis vaginae, quam primam et externam nuncupavimus, lassitudine, porrecta plica, invaginatio solvitur. 1)

His causis et eos volvulos plerumque adjudicandos esse crediderim, qui, dum portio intestinalis superior inferiorem susciperet, exorirentur. Hos neque a summo Hallero 2), neque ab expertissimo P. Frankio 3) improbatos multi auctores observarunt, in quibus eminet Blasius 4), Brüningus 5), Meierus 6), ut caeteros, haud oppido paucos silentio praetereamus.

Patet denique, non homines duntaxat, veluti plurimis exemplis probaverimus, sed animalia etiam gravissimis obnoxia esse volvulis. Canem volvulo periisse, Wahrendorfius 7) vidit, equum nuperrime Bouleyus 8), medicus veterinarius Parisiensis. Quinimo in cato zibethino, simia, camelo, rana observata est, teste Hallero 9), intussusceptio. Patet insuper, Peyerum 10) invaginationes procreasse in ranis, quarum intestina non uno in loco lacesseret.

Invitemur inde ad similia experimenta, probaturi, convulsivis motibus permultos volvulos tribuendos esse. Neque venenis acribus haecce facultas deneganda, cum intestinorum tractum in spasticas torqueant constrictiones, cumque Hunterus 11) in cadavere pueri arsenico interfecti invaginationem animadverterit.

Morbum igitur, cujus tot tantaque exstant documenta, frequens mortalium esse tormentum, omnium erit sententia, cum capitis esset tribus Anticyris insanabilis, adversus omnes experientias, stricto gladio, pugnare velle. At percelluit me alibi 12) legentem, istaec omnia forsitan quidem accidere, perinde quasi res essent novae et inauditae. Imo haec infortunia frequentissima sunt, multisque aliis frequentiora, et hoc infausto talorum jactu nihil ominosius. Cui qui repugnat, tesseram apud me quidem confregit. Iure suo Petitus in eum invehitur, qui Ruyschii 13), de volvulo animadversionibus obstupescit propemodum, et nunquam a magno Amstelodamensi magistro frequentiam mali accepisse videtur, plurimis evictam funeribus.

1) a, I. F. Meckel, l. c. p. 335. et eiusdem Handbuch der menschlichen Anatomie. 4 Bd. p. 324. b, Dance, l. c. p. 462. 467. 468.
2) Elem. phys. C. II. Tom. VII. p. 96.
3) De curand. hom. morb. Tom. VII. p. 23.
4) Observ. med. p. II. obs. 3. p. 37. tab. V. fig. 2.
5) De ileo in Act. N. C. V. p. 263.
6) Baldinger, neues Magaz. Bd. 3. p. 385.
7) Act. N. C. Tom. III. obs. 132.
8) Jour. de médecine vétérin. et comparée, Cahier d'avril 1826. ex Danc. l. c. p. 457.
9) L. c.
10) Bonet, Sepulcher. schol. ad. §. 8. obs. 29. ex Morgagni de sed. et caus. morb. epistol. XXXIV.
11) l. c. p. 116.
12) Palfius chirurg. Anatomie, herausgeg. von Petit, übers. von Wiedmann, Bd. II. p. 59.
13) Thesaur. anatom. pl. I. X. p. 26. etc. etc.

EXPLICATIO TABULAE.

Repraesentat ico invaginationem intestini coeci et magnae partis coli, qua iuvenis, sex et viginti annos natus, defunctus est.

A. Saccus coeci, portionem sistens primo inversam, et faciem villosam extortam ostendens.

B. B. Valvula coli inde extrorsum flexa.

C. Specillum per ostium, quo valvula coli hiat, in intestinum ileum demissum, quod quidem non inversum est, attamen a coeci pondere detrusum, et intortis intestinorum tunicis inclusum.

D. Pars externae sive peritonealis faciei intestini ilei, sub inversis coli tunicis prius reconditi, ut demum, dissecto colo, appareret.

E. E. E. Portio ilei salvi, non detracti ad partes intestinales inversas, cum

F. Suo mesenterio.

G. usque H. Pars ascendens coli et transversa, quam inflexam diximus.

I. Pars omenti majoris, quae una cum intorta coli transversi portione irretita est.

K. Pars omenti majoris citra intestinorum inversionem conspicua.

L. Coli locus, qui, desiisse eius inversionem, significat.

M. M. M. M. Colon descendens non inversum, ad flexuram usque iliacam apertum, retractis hinc inde tunicis, ut utraque intestinorum portio, quam condiderat, in conspectum veniret.

N. N. Flexura iliaca, et

O. Gangraenosum eius foramen, per quod ante mortem materia faecalis et ichor in peritonei cava effluxerant. Alterum foraminulum, parvius illo atque demissius ob spatii angustias exhiberi non potuit.

P. Specillum per dissectam coli descendentis partem in flexuram iliacam irrevolutam introductum.

Monendum duxi, iconem sub manu lithographi esse conversam, eum in modum, ut ea, quae naturaliter a laeva sunt, ad dextram inde collocarentur; cui tamen incommodo facile occurrendum est, si res ex sua natura fingitur, et quare haec ita acciderint, recte intelligitur.

VITAE ET STUDIORUM CURSUS.

Inter natalem meum et hodiernum diem sex et viginti anni interfuerunt, ut a praeterito inde autumno septimum agam et vicesimum. Cessisse eos, volucri simillimos somno, nec doleo, nec gaudeo. Natum autem me esse pronuntio a. 1800, ipsis Augusti Idibus, idque Allenhusiae, pago haud longe a Parthenopoli sito. Postquam nostrae religioni, quam secundum Lutheri formulas colo, aeternam fidem dederam, pater, quem chirurgum esse accipite, praeceptori me tradebat, cujus per integrum, et quod excurrat, biennium scholis interfuisse grato animo semper recordabor; inspiravit enim juvenili pectori almam Musarum flammam, corda lambentem. Sic literas a limine salutaveram, quas humaniores vocamus. Quo facto Neohaldenslebiam me contuli, et hujus oppidi scholam, rectam tunc temporis a celeb Herzog, paulo post a celeb. Boye, per duos annos frequentavi. Tum, medicinae vitam consecraturus, Berolinum veni, ut, academia medico-chirurgica annuente, his professorum perillustrium et celeberrimorum per septem semestria interressem praelectionibus: philosophicis celeberrimi Wolf, physicis, chemicis et pharmaceuticis celeb. Turte, osteologicis illustr. Knape, botanicis illustr. Link, encyclopaediae et methodologiae medicae illustr. Rudolphi, splanchnologiae et syndesmologiae illustr. Knape, anatomiae universae et entozoologiae illustr. Rudolphi, physiologiae celeb. Koref, pathologiae universali, semioticae, therapiae tam generali, quam speciali illustr. C. W. Hufeland et celeb. F. Hufeland, materiae medicae et doctrinis de fontibus medicatis celeb. Osann, scholis in artem, formulas medicas conscribendi illustr. Knape, chirurgicis illustr. Rust et celeb. Kluge, hujusque iis, quas in artem obstetriciam habuit; denique exercitationibus clinicis, illustr. Rust et Neumann ducibus, operam impendi.

Quo studiorum curriculo peracto, stipendia merui, traditus, absoluto examine, legioni pedestri decimae tertiae, quae Monasterii Guestphalorum commoratur, ut medici centuriati munus susciperem, et patriae officia mea praestarem. Inter quod tempus contigisse mihi gaudeo, ut sub auspiciis celeberrimi Dr. Wutzer varias instituti chirurgici illa in urbe florentis praelectiones auscultarer. Sic chemiam a celeb. Bodde, physicen a celeb. Roling accepi; anatomia theoretica et arte, cadavera rite secandi, chirurgia et akiurgia celeberr. Wutzer et Zumbrinke me instituerunt, de botanice et historia naturali Dr. Roedig et Boeninghausen audivi; psychologiam et logicen celeb. Esser frequentavi, biologiam et pathologiam celeberr. Graeber. Quadriennio in animi salutem praeterlapso, Postampium vocatus sum, ut militibus, qui in severiores disciplinas ibi dantur, officia declararem. Hinc sex post menses Berolinum redii, ut, stipendiis emeritis, ad examina me expedirem, quod hactenus perfeci, ut, testimonio maturitatis munitus, tentamen et examen rigorosum coram gratioso medicorum ordine rite superaverim.

THESES DEFENDENDAE.

I. Mors nulla.
II. Vasa capillaria non existunt.
III. Nervus in prosopalgia insalubriter praeciditur.
IV. Gastrotomia in volvulo rarissime admittenda est.
V. Syphilidem ex America ad nos pervenisse nego.
VI. Synchondrotomia plane rejicienda est.

